

A versibus ad precationem. Precatur autem, ut seruetur ac liberetur. *Sit manus tua, inquit, ad auxiliandum mihi: hoc est, Porrige manū auxiliij tui, & libera me.* Item: *Vivat anima mea:* id est, liberata exhilaretur, & alacris reddatur. *Et iudicia tua:* id est, consuetudo tua: vel, si mauis, edicta & decreta tua, adiuuent me. Deniq; *Oberro sicut ouis, inquit, quare seruum tuū.* Qd. Agnosco te pastorem meum: Sum ouis tua, eiecta in solitudinem & exilium, in quo oberro, insidijs impiorum, veluti luporum, obnoxius. Quapropter quare me seruum tuum. Precationi annectit ista: *Quoniam mandata tua elegi.* Et, *Desidero salutē tuam,* quam secundum verbum tuum expecto. *Et lege tua delector.* Et, *Præcepta tua non sum obliuis.* Significat hisce appendicibus, quam propendeat animo ad obseruantiam diuinæ legis, non solum priuatam, sed & publicam, & quod hoc se potissimum nomine liberari ac seruari cupiat.

Appropinquet clamor meus.] Obserua in hisce duobus versibus, quod non simpliciter dicit, *Exaudi me, & eripe me,* quamuis id in summa dicat, sed primū petitionem suam vocat, *clamorem & deprecationem,* ut animi sui angustiam exprimat: deinde orat, ut quod clamat & deprecatur, admittatur ad cōspectum Dei. Quibus verbis modestiam & humilitatem animi sui innuit, qua se indignum iudicat, ut oratio ipsius ad diuinæ maiestatis cōspectum admittatur, ideoq; illud singulari prece obtinere satagit. Tercio adiungit & spem, qua pendeat à veritate eloquij, ac promissorum Dei. His v. luti condimentis, & alijs consimilibus, electi orationes suas condiunt & Deo acceptabiles reddunt.

Profundent labia mea hymnum.] Expendamus, quod nō dicit, *Profundent labia mea hymnum, cum liberaueris me ab exilio.* *Cantabit lingua mea virtutem tuam, quoniam ē manibus inimicorum eripuit me,* cum tamen admodum disertē & obnixē seruari ac liberari petat: ed, *Profundent labia mea hymnum, cum docueris me statuta,* & *cantabit lingua mea eloquium tuum, quoniam omnia præcepta tua iusta sunt.* Ergo admonemur hoc loco, non sic orare sanctos, ut liberentur à tribulationibus, quo ipsis commodē ac securē viuere, sed quo gloriæ Dei liberius seruire liceat. Et obserua, quod non dicit, *Cirabo ut lauderis:* sed, *Ipsa mea labia & lingua vbertim profundent, & cum gaudio cantabunt laudem tuam, & celebrabunt eloquia tua.* Ecce tibi regem cantantem ac psallentem Domino Deo suo: quæ res nostro seculo multo inferioris ordinis magistratui, nedum regiæ maiestati, quasi indigna & impar excellentiæ principum dedecori fore putatur.

Sit manus tua ad auxiliandum mihi, quoniam mandata tua elegi, &c.] Obserua, quod non dicit, *Quoniam mandata tua perfecisti:* sed, *Quoniam mandata tua elegi.* Nec dicit, *Et legē tuam adimpleui:* sed, *Et lege tua delector.* Hæc talia sunt, ut in cordibus piorum per gratiam Dei inueniantur, & ipsi de illis coram Deo testari queant. Perfectam verò legis adimpletionem nec habent sancti in hac vita, nec illam sibi vendicant, sed ad eam ex animo luctantur.

Deinde videmus hîc, quæ sit illorum fiducia, qui sibi de eo sunt conscij quod verbum Domini elegerint, & illius meditatione & studio delectentur: ea videlicet, ut spe bona auxilium Dei implorare, & salutem à Deo expectare possint, ac dicere: *Sit manus tua Domine ad auxiliandum mihi: & Desidero salutem tuam, & vivat anima mea:* & quæ alia sunt huiusmodi.

Et illud consideremus, quod dicit: *Quoniam mandata tua elegi.* Querendū videtur quomodo mandata Dei eligantur. Annon omnis electio liberi est arbitrij? Quomodo autē libero possunt ad eligēdum vti arbitrij, qui serui sunt ac subditi, & quibus Deus præcepta præscribit, ad quæ amplectenda & seruanda debito obedientiæ astringuntur? *Respondeo:* Aliud est, eligere libera voluntate, quod sine culpa vel eligi, vel contemni potest: & aliud, id quod à Deo præscribitur, non quidem sic eligere, ut serues, sed tanquam thesaurum quendam, ex omnibus à Deo cōcessis toto corde complecti, & reliquis omnibus præferre. Sic elegit sibi David mandata Dei: hoc est, pro selectis toto corde complexus est. Scrutetur quisq; conscientiam suam, & quærat quid sibi delegerit:

Illud quoque considerandum est: *Et iudicia adiuuent me.* Dixit, *Sit manus tua ad auxiliandum mihi.* Hîc subdit: *Et iudicia tua adiuuent me.* Ergo eam potentiam Dei implorat, quæ iustis iudicijs & hostes supprimat, & se liberet. Iudicia Dei vocare in auxilium, non est quorumuis, sed innocentum duntaxat.

Oberro sicut ouis quæ perijt: quare seruum tuum.] Et hîc notanda similitudo *ouis,* in locis desertis & inuijs *oberrantis:* cui se Propheta comparat. Illi annexa est etiam consideratio curæ ac fidei, qua bonus pastor erga ouiculas suas, præsertim errantes, est præditus. Admonemur, quomodo & de nobis, tanquam ouibus, sicubi in errores & discrimina inciderimus, & de Domino Deo nostro, tanquam bono ac fideli pastore sentire, & hoc genere considerationis vti debeamus. Clament fideles Christi, tanquam ouiculæ, in huius Mundi solitudine oberrantes, curam Christi pastoris optimi implorent, ac dicant: *Oberramus sicut oues quæ pereunt, quare nos Domine.*

PSALMVS CXX.

CANTICVM GRADVVM.

Quindecim sequentes Psalmi eandē hanc omnes habent epigraphen, ut pariformiter vocentur Cantica graduū: nisi quod tertius, quintus, duodecimus, & quartusdecimus inscribuntur Canticū graduū David: & octauus, Canticum graduū Salomonis. De huius inscriptionis ratione nihil certi reperitur, nec apud Ebræos, nec apud nostros, siue veteres, siue nostrorum temporum commentatores inspicias. Alius aliud opinatur. Kimhi Ebræus varias suorum opiniones adducit. Primam, de quindecim gradibus, quibus in monte domus Dei à mansione muliercularū ad eum locum fuerit ascendendum, in quo Israël in domo Dei congregari consueuerit, ita ut singulis illis gradibus, singuli ex hisce quindecim Psalmis fuerint

OBSER.
Verj. 1. & 2.

OBSER.
Verj. 3. & 4.

OBSER.
Verj. 5. 6.
& 7.

OBSER.
Verj. vlt.